



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Decimum. Encomium Marianum Vndecimum. Mater Admirabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

que tamen in ipsis esse non dubitantur: Ita & B. Virgo donis spiritualibus plenissima, donis gratuitis nobilissima ita occupat animos laudantium, quod bonorum corporalium obliviscuntur: Tamen pro infallibili regula debemus habere, qui eam diligimus quod quidquid unquam bonitatis in aliquo sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam excreverit & per ipsam in eos.

CAPUT DECIMUM.

Encomium Marianum Undecimum.

MATER ADMIRABILIS.

MAgnum & ante illa tempora inauditum fuit prodigium Iosue 10. quod ad vocem Iosue sol steterit nec perrexit more suo ad occasum: Tunc loquutus est Iosue ad Dominum in die qua tradidit amorreum in conspectu filiorum Israël: sol contra Gabaon ne movearis & luna contra vallem Ajalon, steteruntque sol & luna, donec ulcisceretur segens de inimicis suis, stetit itaque sol in medio caeli, & non festinavit occubere spatio unius diei. Non fuit ante & postea tam longa dies obediens Domino

Domino voci hominis & pugnante, pro Israël.
Magnum revera prodigium. Nec minus
illud: quod lib. 4. Reg. cap. 20. ad vocem
orantis *Ezechia*, cui jam indicta mors à Do-
mino: misertus Dominus ei vitam non so-
lum ad quindecim annos prolongaverit,
quin etiam quod majus est in testimonium
promissionis solem in horologio Achaz
decem gradibus retraxerit: magnū & hoc
ipsum miraculum, & non immerito inter
mirabilia Dei opera numerandum cum
sol ex natura sua secundum *Mesalac* non sit
planeta retrogradus, sed directē incedens:
At longe & incomparabiliter majus illud,
imò juxta omnes sanctos Patres incom-
prehensibile, quod solem illum justitiæ uni-
genitum filium suum in horologio divini-
tatis decem gradibus, & lineis infra nimi-
rum novem angelorum choros ad naturā
usque humanam retrahat ac descendere
faciat, illum Virginis filium esse decernat:
ut nimirum divinitas & humanitas virgini-
tas, & maternitas in hoc misterio obvia-
rent sibi: ut proinde non immerito B. Vir-
go in qua hoc mysterium consummatum
Mater admirabilis ab Ecclesia nominetur

O

verc

vere admirabilis, sive spectes conceptum filij Dei, sive modum concipiendi, scil. ex Virgine immaculata & intacta, *A* sæculo inquit Bernardus non est auditum quod aliqua simul esset Mater & Virgo. Et serm. in Pentecoste quis inquit vel satis miretur de partu virginali? si enim illud miraculum dicitur quod ordinarium naturæ cursum excedit, summum erit hoc, in quo summe naturæ limites transcenduntur, in quo fere innumera in unum concurrunt mirabilia nam juxta Berchorium.

In hoc mysterio
cernitur

Longitudo brevis
Latitudo angusta
Altitudo subdita
Profunditas plena
Lux non lucens
Verbū non fans sed infans
Aqua sitiens
Panis esuriens.

Hic videbis

Potentiam Regi
Sapientiam instrui
Virtutem sustentari
Tristitiam letitiam
Pavere fiduciam
Salutem pati.

Forti-

Hic videbis { *Fortitudinem infirmari*
Vitam mori
Tristitiam letificantem
Pavorem confortantem
Passionem salvantem
*Infirmi-
 tatem roborantem*
Mortem vivificantem.

Ut non immerito tantis encomijs hoc
 mysterium summe mirandum extulerint
 S. Patres. Vas electionis S. Paulus dicit esse
mysterium quod absconditum fuit à seculis &
generationibus. S. Cyrill. Alexand. esse sacratis-
simum enigma. S. Petrus Dam. S. R. E. Card.
 Episc. Ostiens. serm. de Annunt. ipsum *no-*
vum novorum appellat conformiter ad men-
 tem Prophetæ: *Creavit Dominus novum su-*
per terram fœmina circumdabit virum. Quod
 si incarnationis mysterium enucleare vel-
 lemus certe omnem operam perderemus,
 at intentionis nostræ est solummodo ex-
 plicare titulum, initio capituli proposi-
 tum MATER ADMIRABILIS & breviter
 quædam quæ ex parte B. Virginis divinæ
 Incarnationis ministræ admiranda occur-
 runt adducere.

Et primo quidem prorsus *Admirabilis*
 O 2 est

est *Mater* in hoc, quod ipsa genuerit filium Dei, creatura Creatorem, ancilla Dominum: tantæ hoc enim sublimitatis est, ut id ipsum intellectus nullus humanus sed nec Angelicus attingere queat, oculi eorum hic caligant: Nam quod verum Deum, & Dei filium *MARIA* genuit inquit Bernard. ut idem ipse sit Dei atq; hominis filius: unus omnino Deus & homo, prodiret ex *MARIA*, abyssus est luminis nec facile dixerim quod vel Angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget: Hinc Angelus B. Virgini incomprehensibile hoc mysterium investiganti ac dicenti: quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Respondit: Spiritus sanctus superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi: ne me interrogaveris inquit supra me est & non potero ad illud, Spiritus S. non Angelus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, non ego. Ne steteris vel inter Angelos Virgo S. sublimius aliquid sibi ministerio propinandum sitiens terra præstolatur. Paululum cum pertransieris eos invenies quem diligit anima tua. Spiritus sanctus superveniet in te, ac si manifeste dicat: Quid à me requiris quod in te ipso mox experieris? sciens scies & feliciter

liciter scies sed illo doctore quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum non creare; nec potest doceri nisi à donante nec potest addisci, nisi à suscipiente: modum enim illum quo de spiritu sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi, ut non immerito exclamet mellifluus Bernardus, quis enim excepta fortassis illa quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere ratione discernere possit qualiter splendor ille inaccessibleis virgineis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibleem accedere ad se ferre potuisset de portiuncula ejusdem corporis, cui se anima contemperavit reliqua massa umbraculum fecerit?

§. 2.

SECUNDUM ob quod non immerito *Ma-*ster Admirabilis nuucupatur, quod scilicet fit Mater & Virgo: Magnum atque à seculo inauditum miraculum, in cuius contemplatione tot hæresiarcharum oculi caligaverunt, & in abominabilem hæresum latrinam prolapsi sunt, metientes Dei potentiam sui ingenij mensurâ & longitudi-

ne. Et licet hanc hæresim contra Bñam Virginem *Nestorius* alijque excitarint ante longa tempora, inventi tamen sunt qui antecedenti sæculo eandem jam diu sepultam è cineribus excitarint gaudentes se Antimarianorum nomine insigniri eo nixi fundamento, quod supra ex S. Patribus refutavimus, scilicet quod *MARIA* tres filios habuerit, cum in scriptura Christus Dominus fratres habuisse dicatur. En tales filios insignis ille Pseudo Proph. & Evangelista *Luther* genuit: quas blasphemias horum serpentis à B. Virgine contriti filiorum ex *Florim. Remundo*, in lib. 3. ortus & interitus hæresum cap. 16. hic adscribamus: *Scias ergo MARIA* inquit *Philippus Melancton* primus *Lutheri* discipulus *te non plus à me estimari aut fieri quam aliam peccatricem feminã. Virgo hæc* inquit *Brentius* peccatrix fuit in vita sua & persona punitione digna, eque ac *Adam* aut ullus alius homo. *Ipsa peccatũ aliquod commisit* inquit *impijssimus & blasphemus Spangenbergius* ob quod eam *Deus* eternaliter puniturus est. *Æternam damnationem pro merito est* inquit *pejssimus Brencius* eo quod juxta asseritum *Oecolampadij* superba & ambitiosa fuerit:

rit: Et ut unico verbo collectores harum hæresum audiamus: *Omnes sancti Patres in-
quiunt erraverunt qui asserere ausi sunt singu-
lari privilegio B. Virginem ab omni peccato fu-
isse immunem, & quod nulla imperfectio in e-
jus anima locum habere potuerit: Sed & Cal-
vinus ut quoque suum contra sacratissimã
Dei matrem una cum tot hæresiarchis pe-
stilentissimis venenum effutiat: Si inquit ip-
sa fecerit votum castitatis, certe Deum ludibrio
habuit: Et alio loco ei affingit, quod ex mali-
tia voluerit Deo præscribere terminum suæ o-
mnipotentiæ. Videtur inquit sancta Virgo Dei
omnipotentie voluisse metam imponere ex ma-
gna malitia sicut fecerat Zacharias. Accedit
Calvino Petrus martyr ejusdem farinae cum
ipso hæreticus, non est inquit credendum ip-
sam semper mansisse virginem. Et deniq; Beza
cur inquit hoc crederem cum non habeatur in
sacris litteris: Sed his blasphemijs ut reor sa-
tis supra satisfactum est in encomio tertio:
concludo ergo verbis Divi Ambrosij obstru-
atur ergo os omnium maledicorum sileat hære-
sis, ne ineptum quid contra Dei Matrem effu-
riat. Continuetque Ecclesia Canticum
suum dicens:*

Domus pudici pectoris

Templum repente fit Dei

Intacta nesciens virum

Verbo concepit filium.

Castæ parentis viscera

Cælestis intrat gratia.

Venter puella bajulat

Secreta quæ non noverat.

§. 3.

MAgnum miraculum olim *Moyse* demonstratum est cum progressus ad interiora deserti à longe conspiceret rubum ardere, nec tamen comburi, ut admirans diceret: *Vadam & videbo visionem hanc magnã quare ardeat rubus & non comburatur,* nec minus quod Apoc. 12. vidit *Evang. Iohannes: signum inquit magnum apparuit in celo mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus & in capite ejus corona stellarum duodecim:* ambo hæc miracula intuens *Bern.* heret præ admiratione, attendens non tam ipsa, quã illam cujus hæc figuræ erant *B. virginẽ:* hæc est enim quã rub^o ille ardens, nec tamen adustionem patiens significabat: hæc mulier illa amicta sole justitiæ, quam signum illud magnum Apocal. præfigurabat hanc *Ge-*

deonis

deonis vellus, Aaronis virga & innumera alia miracula scripturæ indicabant: *Vides inquit Bernard. Hom. 2. super Missus quam pulchre & concorditer sanctorum mira facta & mystica dicta sibi invicem concinant? vides quam stupendum sit hoc unum de virgine & in virgine factum miraculum quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt? unus nimirum fuit spiritus Prophetarum: & licet diversis modis & signis & temporibus eandem rem diversi, non diverso spiritu & præviderunt, & prædixerunt. Quod Moysi monstratum in rubo, & igne, Aaroni in virga & flore: Gedeoni in vellere, & rore: hoc aperte Salomon prædixit in forti muliere & ejus pretio: apertius Hieremias præcinit de fœmina & viro. Apertissime Isaias declaravit de Virgine & Deo, Gabriel tandē exhibuit ipsam salutando. Et serm. in verba Apocal. Sed forte miraris inquit non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? merito quidem admiraris Moyses sancte & curiosius desideras intueri. Veruntamen solve calceamenta de pedibus tuis & involucria pone carna-*

lium cogitationum si accedere concupiscis. Vado inquit & videbo visionem hanc magnam. Magna plane visio rubus ardens siue combustione magnum signum mulier illaesa manens amicta sole. Non est rubi natura opertum undiq; flammis manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humanae, sed nec angelicae quidem, sublimior quaedam necessaria est. Spiritus sanctus inquit superueniet in te, & virtus non mea, non tua, sed altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaq; mirum si sub tali umbraculo talis etiã à muliere sustineatur amictus. Mulier inquit amicta sole plane amicta lumine sicut vestimento. Candidissimus sane sed & calidissimus hujus mulieris amictus cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum sed obscurum saltem vel minus lucidum sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.

§. 4.

ET sane hanc admirabilem Matrem folito altius contemplans aureum eloquentiæ flumen, Chrysostomus magnum ait revera miraculum fratres dilectissimi fuit beata semper Virgo MARIA. Quid namq; illa ma-
jus

ius aut illustrius ullo unquam tempore inven-
tum est, seu aliquando inveniri poterit? Hæc so-
la cælum ac terram amplitudine superavit.
Quidnam illa sanctius? non Propheta, non Apo-
stoli, non Martyres, non Patriarchæ, non An-
geli, non throni, non Dominationes, non Sera-
phim non Cherubim, non deniq; aliud quidpiam
inter res creatas visibiles aut invisibiles majus
aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla
Dei est & Mater; eadem Virgo & genitrix. Hæc
ejus mater est qui à Patre ante omne principi-
um genitus fuit, quem Angeli & homines agno-
scunt Dominum rerum omnium. Visne cogno-
scere, quanto Virgo hæc præstantior sit caelestibus
potentijs illi cum timore & tremore assistunt
faciem velantes suam: hæc humanum genus
offert illi quem genuit. Hucusque Chrysof.

Merito ergo dixit Ioannes Damasc. omni-
um novorum maxime novum est Incarnatio
Dominica: novum enim fecit Dominus super
terram ait Bernardus ut mulier circumdaret
virum & non alium quam Christum de quo
scriptum est, ecce vir oriens nomen ejus vere
novum: quod enim mulier infantem cir-
cundet novum non est sed usitatum: virgi-
nem vero virum perfectum & plenum gra-
tiae

tiæ & veritatis circumdare & qui Deus sit
inauditum & maxime novum est. Tunc enim
quod dici solet, completum est.

*Sphæra centro clauditur,
In centro jacet circulus,
De vase prodit figulus,
Fontem excedit rivulus,
Pars excedit totum,
Lux monstratur per ignotum,
Stella parit solem,
Virgo sancta seculorum Salvatorem.*

Recte autem dixit Propheta *circum-*
dabit: quia totum suum est in quo viri opus
non fuit. Id enim dicimur circumdare,
quod nostrum est, non quod alienum. Fi-
gura etiam circularis unica linea conten-
tatur, ita Christus ex Matre tantum con-
stat cum reliqui omnes duabus lineis, ni-
mirum Patre, & Matre constituentur.

Et licet plurima alia sint quæ in Ad-
mirabili Matre nostra miremur, suspicia-
mus ac veneremur, quod nimirum ipsa so-
la à gravissimo illo parturientium mulie-
rum maledicto: *In dolore paries filios tuos*
inveniat immunis: quod sola ipsa evase-
rit commune totius generis humani debi-

tum

tum à Deo in omnes fulminatum, scilicet
pulvis es & in pulverem reverteris. Et pluri-
ma alia quæ brevitatis causa præterimus:
est tamen adhuc unicum quod jure merito
cum mellifluo *Bernar.* in Admirabili Matre
nostra miremur, scilicet conjunctionem
summæ humilitatis cum summa dignitate:
*Quæ ait Bernardus: Est hæc virgo tam venera-
bilis ut salutetur ab Angelo: tam humilis ut de-
spensata sit sabro? pulchra permixtio humili-
tatis & virginitatis: nec mediocriter placet
Deo illa anima in qua & humilitas commendat
virginitatem & virginitas exornat humilita-
tem, sed quanta putas veneratione digna est
in qua humilitatem exaltat fecunditas & par-
tus conservat virginitatem? felix MARIA cui
nec humilitas defuit nec virginitas. Et quidem
singularis virginitas quam non temeravit sed
honoravit fecunditas: & nihilominus specialis
humilitas, quam non abstulit sed extulit fœ-
cunda virginitas: & incomparabilis prorsus
fecunditas quam virginitas simul comitatur
& humilitas. Quid horum non mirabile? quid
non incomparabile? quid non singulare? mi-
rum vero si non hæsitas in eorum ponderatione
quid tua judices dignius admiratione, utrum
potius*

potius

potius sit stupenda fecunditas in virgine, an in matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas; nisi quod indubitanter horum singulis preferenda sint simul cuncta & incomparabiliter excellentius est atque feliciter omnia percepisse quam aliqua. Et quid mirum si Deus qui mirabilis legitur & ternitur in sanctis suis mirabilem, se exhibuit in matre sua? Et infra serm. 4. super missus explicans verba: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, semper inquit solet esse gratiæ divinæ familiaris humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet ut sedes gratiæ prepararetur: *Ecce inquit Ancilla Domini: Quæ est hæc tam sublimis humilitas, que cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur & ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insignis, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione: Magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Et iterum serm. super verba Apoc. signum magnum: Nec in sola inquit taciturnitate MARIÆ commendatur humilitas, sed evidentius resonat in sermone. Audie-*

rat:

rat: quod ex te nascetur sanctum vocabitur
filius Dei. Et nihil aliud quam ancillā ejus se esse
respondit. Inde ventum ad Elisabeth & conti-
nuo virginis gloria singularis eidem per spiri-
tum revelatur. Deniq; & mirabatur personam
venientis dicens: Unde hoc mihi ut veniat ma-
ter Domini mei ad me. Commendabat & vocem
salutantis adijciens. Vt facta est vox salutatio-
nis tuae in auribus meis exultavit in gaudio in-
fans in utero meo. Et beatificat fidem credentis.
Beata quae credidisti quoniam perficientur in
te quae dicta sunt tibi à Domino. Magna prae-
conia quidem, sed humilitas devota nihil sibi pas-
sa retinere in eum magis refudit cujus in se be-
neficia laudabantur. Tu inquit magnificas ma-
trem Domini sed magnificat anima mea Domi-
num. In voce exultationis meae filium perhibes
exultasse in gaudio: sed exultavit spiritus meus
in Deo salutari meo: & ipse quoq; tanquam a-
micus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse
dicas quae credidisset: sed credulitatis & beati-
tudinis causa respectus est supernae pietatis, ut
ex hoc magis beatam dicant me omnes genera-
tiones, quia ancillam humilem & exiguam re-
spexit Deus. Hucusq; Doct. mellifluus, qui
non imerito & summe miratur, & summe su-
spicit

spicit ac deprecatur tantā (& cui non est par
inveniri) humilitatem. Profecto rara avis
in terris nigroque simillima cigno. Et me-
rito hæc humillima virgo facta est novissi-
ma prima quæ cum prima esset omnium
sefe novissimam faciebat. Merito facta est
omnium Domina quæ se omnium exhibe-
bat ancillam: Merito deniq; super omnes
angelos exaltata est, quæ & infra viduas &
& pœnitentes, infra eam de qua ejecta fue-
rant septem dœmonia ineffabili sefe man-
suetudine inclinabat.

CAPUT VNDECIMUM.

*Encomium Marianum Duodecimum
et Decimum Tertium.*

MATER CREATORIS &
SALVATORIS.

NON immerito quis quærat causam,
cur B. Mater Dei tam diversis nomi-
nibus in idem quodammodo incidentibus
honoretur: Dicitur *Mater Christi, Mater di-
vine gratie, Mater Creatoris, Mater Salvato-*
ris,